

malis simili, quam Terrae et homini et quibuscunque Terrae creaturis tribuit, quaeque occulte persentiat mutationes in coelo. Qua vi cometae moveantur in coelo, nulla alia ratione explicari posse censet Keplerus, quam ordinatione Dei ipsius aut spirituum illorum potentissimorum, quibus plenus sit mundus. Hoc de spiritibus dogma censors theologos Lipsienses movit, ut vetarent librum germanicum Lipsiae typis exscribi. Ceterum affirmat, nisi essent aliqui, qui expiscerentur significationes, nihil significaturum fuisse cometae cursum illasque mathematico impervestigabiles esse, et ablegat lectores ad librum suum de Nova Stella (II. 718 ss.), ubi inveniant de his sententiam suam. Etsi haec praemisit, tamen libro III. redit ad significationes particulares, quasi ut officio suo, Caesaris astrologo conveniente, fungatur, ibique per seria et joca, additis anno 1619. annotationibus ad ea, quae anno 1607. scripserat, rem suam agit.

Librum absolutum d. 17. Maji 1619. Augustam misit ad typographum, dedicans librum I. Alberto Archiduci Austriae, librum II. Herwarto, librum III. Erasmo, libero Baroni in Starenberg. Dedicatio ad librum I. data est „ad Idus Majas“ 1619, dedicationes librorum posteriorum Id. Nov. 1607 et Cal. Dec. 1607. Dedicatio libelli secundi inscripta quidem est Herwarto, re vera autem alloquitur Keplerus „anonymum“, quem diceremus fuisse Albertum, Austriae Archiducem, cui primum dedicaverat libellum, nisi verba Kepleri obscura alium quendam, cujus nomen detegere frustra quaesivimus, significarent. Cur Albertum Archiducem Keplerum allocutum esse putaverimus, inspicienti exordium dedicationis facile patebit. Hoc vero assumpto literae Kepleri ad Herwartum referendae essent ad annum 1619, quo tempore Albertus „chiragrae et podagrae doloribus exhaustus“ erat (verba Miraei in Comment. de vita Alberti) et „corpuseculum diuturna invaliditudine quassatum circumferebat, cum et cibus ad certum pondus a medicis praeberetur“ (Beyerlinck, Laudatio funebris 1621), neque tamen verba Kepleri quae sequuntur („vivit adhuc“ etc.) cum iis consentiunt, quae in modo citatis libellis aliisque historicis de ultimis vitae Alberti annis referuntur, neque praetermittendum, eodem tempore scriptam esse epistolam dedicatorem primi libri ad Albertum ut salvum. Causa alia, qua moti sumendum censemus, alium quam Albertum a Keplero dici, haec est, quod alloquitur illum: „Nobilis et magnifice Domine“ et se subscribit „officiosissimum“, cum in dedicatione prima Archiducem dicat „Serenissimum“, et finem faciat se subscribens: „Serenitatis Vestrae subjectissimus servus“, more usus loquendi tum usitato, quem ipse Keplerus alibi religiose sequebatur, prioribus verbis „nobilem“, posterioribus vero „fratrem Imperatorum duorum“ allocutus. His accedunt ea, quae tribuit Keplerus „anonymo“ ejusque „familiae“, et quae affert de „administratione publici muneris“, quae minus ad Albertum applicanda videntur.

De typo operis latini ipse dicit Keplerus in dedicatione prima, descriptionem cometae anni 1607. astronomicam Lipsiam missam esse, „quia Praga typis et operis idoneis carebat“; tempus variis typographorum tergiversationibus elapsam esse, quare editionem tunc intermissam esse. In „Responsione ad Röslinum“ (vol. I. p. 514) dicit Keplerus: Besagter mein Beweiss (cometam in sphaera Veneris fuisse) ist vbers Jahr zu Leiptzig gelegen, endlich mir wider vngetruckt zukommen, doch die stöcke geschnitten vnd der Anhang Phaenomeni singularis gedruckt. (Cfr. vol. II. p. 523). In epistolis Tanckii, professoris Lipsiensis, cui typum curandum dederat Keplerus, plura de impedi-